



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes De Actibus Humanis

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716

Dissertationes. De Actibus Humanis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39981



DISSERTATIONES DE ACTIBUS HUMANIS.

I. **P**ræfens tractatus inter Theologiae partes non sublimitate, & objecti dignitate, sed utilitate locum non postremum sibi vendicat, jacet enim fundamenta universæ Theologiae practicae, seu Moralis, id est, occupatae circa actus humanos, quorum nomine hic cum S. Th. 12. q. 1. a. 1. in Corp. intelligo eos, quorum homo est dominus. Est autem homo Dominus horum per rationem, & voluntatem: unde & liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis & rationis. Ille ergo actiones propriè humanae dicuntur, qua ex voluntate deliberata procedunt; si qua autem aliae actiones homini convenient, dici possunt actiones hominis, sed non propriè humanae, cum non sint hominis, in quantum est homo. Hac S. Th.

Actus humanus si resolvatur in suas causas, ejus causa finalis, seu finis est bonum, unde inquit cit. S. Th. oportet quod
R. P. Karch. Diss.

omnes actiones humanae sint propter finem; causa intrinseca materialis, seu subjectiva est ipsa actio humana elicit a voluntate, aut ab hac imperata, causa verò formalis intrinseca, quam actio humana velut subjectum recipit, est ipsa moralitas, id est, bonitas, seu honestas, & malitia moralis; cum autem nulla actio possit esse bona, aut mala moraliter, nisi sit voluntaria, & libera, idcirco est necessariò agendum, & quidem primò de voluntario, & libero, eorumque oppositis, ac impedimentis; ut de involuntario, violento, coacto, concupiscentia, metu, ignorantia, & errore. Et cum omnis actio humana sit per se loquendo, aut moraliter bona, aut mala, bonitas autem & malitia proveniat ab objecto, & circumstantiis varijs, hinc S. Th. de his omnibus à Quæst. 6. ad 21. inclusivè disputat, cuius vestigijs inharebo.

Præter principia intrinseca actus humani jam insinuata S. Th. q. 19. a. 3. & 4. investigat moralitatem actus humani per ordinem ad principia, & regulas extrinsecas
A

fecas, quorum una est immediata, & proxima creata nempe ratio, seu dictamen, quod conscientiam dicimus, altera est mediata, & remota, eaque increata, quam legem aeternam appellat. Utraque regula est scitu necessaria, quia omnis actus humanus est vel moraliter bonus, vel moraliter malus; nequit esse bonus, nisi sit conformis rectæ rationi, & lege divinæ,

aut naturali aut humanæ; nec malus, nisi discortet à recta ratione, & lege, idcirco est necessaria discussio, ac investigatio naturæ utriusque regulæ actûs humani directivæ, quod præstabo post consideratos actus humanos primò in genere, postea in specie de peccatis.

* *
*



DISSERTATIO I. De voluntario.

ARTICULUS I.

De Voluntario in communi, & ejus divisione.

2. **V**oluntarium tripliciter sumitur. Primò pro voluntario objectivè, estque ipsum objectum volitum per actum voluntatis. Secundò pro voluntario formali, seu pro actu, quo voluntas redditur formaliter volens. Tertiò pro voluntario causali. Quale est principium appetitivum ut tale, id est, elicitive voluntarij formalis. Est notabile discrimen intervolutarium formale, & volitum, quia voluntarium formale comparatur ad appetitum ut effectus ad causam, volitum verò ut objectum ad potentiam, multum autem interest inter objectum & effectum; hic enim in esse suo pendet à causa, secus objectum à potentia, cui obijcitur; unde

diversitas desumitur à priori ex modo diverso tendendi causæ in effectum, & potentia in objectum, vel hoc cognoscendo, ut fit in potentia cognoscitiva, vel id appetendo, quando est appetitiva: cognitio autem, & appetitio cum sint actus immanentes nihil causant in objecto, sed hoc præcisè denominant extrinsecè cognitum & volitum. Rectè nonnulli observant, quòd voluntarium objectivum, seu volitum non nisi latè & improprie dicatur voluntarium, nam quæ desideramus ab alijs fieri sine nostro concursu sunt à nobis volita, secus nobis voluntaria saltem directè.

Descendamus ad voluntarium formale.

§. I.